



ARCHIMEDI PARALLELO,
GERMANICO, CHRISTIANO.

Hoc nunc age, mi ARCHIMEDES, quod egisti pridem, cum patria Siculorum *Syracusa* foris obsideretur à *M. Marcello*, quamque tunc machinis affabrè confectis, pyroptro maximè, classe hostili exustâ, pice navium concipiente ignem, è radiorum solarium reflexione, ab excidio vindicasti; nunc ense protege. Marcellus non est amplius ante portas, sed jam intus grassatur: Non circino nunc opus est, sed qui defendat patriam, gladio. Cedant cylindri armis, sphaera vitrea induciis fruatur: noli moras necere theoriâ inani: miles astat & jugulum petit, immo ferit.

Archimedes tum forte descriptâ figurâ quippiam contemplatus, totusque animo & oculis meditandæ ei rei intentus, Romanorum irruptionem, urbisq; captæ statum non sentiebat. Subito miles ei adstitit, sequique se ad Marcellum iussit. Archimedes priusquam absolvisset problema, & ad demonstrationem perduxisset, ire noluit: qua re miles commotus, gladio eum educto obtruncavit, Ita *Plutarchus in Marcello*. Quem enim ardorem studii, censetis fuisse in Archimede, qui, dum in pulvere quadam describit attentius, ne patriam quidem captam esse sensit? *Cicer. l. 5. de finib. n. 59.*

):(2

Is